

sunt necessaria. Quod iterum a multis aliis negatur, ut a Ball. P. (n. 126). Dein, Suarez per necessitatem gravem intellegit casus quos potius ad quasi-extremam retulimus.

Convenit tamen inter AA. tum severiores (ut Suarez, l. c. sect. 3. n. 5; Lehm. I. n. 607), tum benigniores (ut D'Annib. n. 85), unumquemque, ex caritate erga proximum, graviter obligari ut, si commode possit, grave malum alienum avertat, ex. gr. si videat domum alterius incendio flagrare, si audiat famam illius pessumdari, etc. Quod principium forte utilem et sufficientem regulam praebit inter plurima dissidia DD. de eleemosynae praecepto.

225. IV. Etiam in communi necessitate probabilius sub gravi obligantur ad eleemosynam dandam ii qui statui superflua habent.

Hoc constare videtur e multis locis S. Script. quibus eleemosynae praeceptum urgetur et transgressoribus aeternae poenae imponuntur. Nihil enim in his locis indicat Christum non loqui de iis pauperibus qui ubique occurrunt et in communi necessitate versantur: eo vel magis quod SS. Patres, ex. gr. Basilius, Greg. Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Joannes Chrys. etc., haec Christi verba explicantes et severissime urgentes, de omni necessitate indistincte loquuntur. "Summa eorum est: divites esse dispensatores, constitutos a Deo, bonorum eorum quae sibi sunt superflua, et esse raptores et latrones si non distribuunt." (Suar. l. c. n. 2) Ideo divites videntur omnino adstricti ad aliquas eleemosynas largiendas, neque a communi necessitate sublevanda excusantur, nisi qui *reapse* opitulantur in graviore constitutis. (Lehm. n. 607)

Rationem autem S. Thomae (2. 2. q. 66. a. 7) sic compendio exhibet Suarez (l. c.): "Haec bona (temporalia) ex Dei institutione sunt communia: jure autem gentium sunt divisa, quae divisio non potest esse justa et rationi consona, nisi hac lege facta intellegatur ut quae propriis dominis fuerint superflua aliis efficiantur communia. Nam oppositum esset contra finem ipsarum rerum." Quae obligatio, cum sit magni momenti ad commune totius generis humani bonum, videtur ex genere suo gravis. Ita et S. Alph. l. 3. n. 32.

At negari nequit satis probabilem esse opinionem eorum qui tenent hanc obligationem esse tantum levem. Ita Medina, Busemb. (ap. S. Alph. l. c.), Ball. P. n. 131.

Rationem afferunt, quod obligatio eleemosynae communiter non oritur ex superfluitate bonorum, sed ex urgenti aliorum necessitate, qualis non censetur sat tolerabilis pauperum communiter occurrentium condicio.

226. V. Probabilius non datur stricta obligatio ad omne superfluum pauperibus in communi necessitate largiendum. Id etiam S. Alph. (l. c.)

probabile censet, quia "hoc praeceptum non obligat singulos in solidum, sed communiter omnes divites, ex quibus, si singuli aliquid largiantur, satis subvenitur his communibus necessitatibus."

In Encycl. litt. de cond. opif. 15 Maii 1891, Leo PP. XIII docet quidem:

"Ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. Quod superest, date eleemosynam (Luc. XI, 41)." Haec tamen licet intellegere secundum probatam S. Alphonsi doctrinam et praxim communiter receptam qua tantus rigor a bonis christianis teneri non solet: qui, si largas eleemosynas fecerint, putant se officio caritatis prorsus satisfacisse, etiamsi quaedam superflue expenderint vel seposuerint. Insuper, praesertim nostris diebus, plurima bona quae a divitibus servantur aequivalenter in utilitatem multorum adhibentur, puta cum in opera privata vel publica perficienda impenduntur quae multis victus lucrandi occasionem praebeant. Quare divites illi jam non privant reliquos ab omni usu bonorum suorum, neque ea *otiosa* servant, ceteris indigentibus: quod praecipue ab antiquis Patribus reprehendebatur. Dummodo igitur aliquot eleemosynas elargiantur, videntur satis attingere finem ob quem divitias ipsis concessit Deus. Decrescit etiam haec obligatio si Status magis providet necessitati indigentium.

Multi, quos citat et videtur probare S. Alph. (l. c.), conati sunt determinare quanta superfluum pars pauperibus in communi necessitate largienda sit. Statuerunt plerique sufficere ut detur reddituum pars quinquagesima. Sed talis determinatio nulla ratione solida fulciri potest. Quare satius ducimus ab ea facienda abstinere et, sicut in aliis hujusmodi obligationibus opinati sumus (nn. 194, 207), id prudenti arbitrio relinquere. Profecto crescit illa obligatio cum numero eorum qui in communi necessitate versantur, cum penuria acerbiora qua premuntur, etc.

Obligatio eleemosynae, qualis hic statuta est, proprie eos tantum respicit qui liberam bonorum suorum administrationem habent vel vicariam administrationem alienorum gerunt, ut tutor bonorum pupilli. Quid autem liceat uxori et filiisfamilias in dandis eleemosynis, liquebit ex iis quae de eorum dominio dicentur n. 469 seqq. Famulis eleemosynam e bonis dominorum dare non licet, nisi tenuem et cui consentire dominos merito praesumant. (S. Alph. n. 33)

§ 4. DE ODIS ET DILECTIONE INIMICORUM.

227. I. Obligatio diligendi inimicos, quam saepe Christus inculcavit, ex. gr. Matth. V, 44, eo sensu intellegenda est quod eos a generalitate dilectionis proximi excludere non licet.

Inimici proprie intelleguntur ii qui nos injuste laeserunt vel injusto odio prosequuntur : quamquam nihil impedit quominus doctrina hic statuta extendatur a fortiori ad eos quos quis ob quodlibet motivum naturaliter aversetur. Igitur animus paratus esse debet ad eos in necessitate juvandos perinde ac tenemur quoslibet in pari necessitate juvare. Quod autem, praeter articulum necessitatis, particularia beneficia vel dilectionis signa inimicis praestentur, id ad perfectionem caritatis pertinet. (2. 2. q. 25. aa. 8 et 9) Hinc :

II. Quilibet tenetur etiam inimicis exhibere **signa communia caritatis**, specialia vero non tenetur, nisi aliunde ratio obligationis accedat.

Communia caritatis signa censentur ea quae ab omnibus hominibus talis condicionis invicem exhiberi solent, puta a vicino vicinis, a patre filio, a convictore collegii suis contubernalibus. Quae enim illa sint ex communi prudentum aestimatione et recepta consuetudine dijudicandum : magna enim diversitas est pro regione, statu et tempore. His signis adnumeranda sunt ea quae libere impenduntur alicui multitudini, ut si quis omnibus alicujus civitatis pauperibus eleemosynas distribueret. (S. Th. I. c. a. 9)

Cetera dilectionis signa dicuntur *specialia*. Haec procedunt ex liberalitate, non ex debito : unde, sicut libere assumuntur, ita et libere omitti possunt.

Denegare inimico signa caritatis communia est mortale ex genere suo, ut ex oppositione ad caritatem patet. Attamen leve vel nullum peccatum erit, si materia parvi momenti est vel habetur causa excusans. Cfr. Assertum III. Speciatim :

1^o " Non licet inimicum excludere a communibus orationibus, v. gr. oratione Dominica et quae pro communitate instituitur, nec a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione..., cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 28) Salutatio autem et allocutio non sunt adnumerandae signis communibus nisi inter valde conjunctos.

2^o Si quis offensus est ab eo quocum familiariter agebat, videndum utrum haec familiaritas a libera ipsius voluntate an a vinculo quod ab ejus voluntate non penderet, oriretur. Si tale vinculum adest, puta consanguinitatis, contubernii, etc., servandum est tamquam necessarium quidquid talis conjunctio, e recepta consuetudine, secum trahit ; deponere licet quidquid libere ei additum est. (Ball. P. n. 71)

3^o Ad dijudicandam gravitatem peccati denegantium aliquod caritatis signum, attendendum quoque est ad causam ob quam id fit. Sic quod

duae moniales per plures dies nolint jam se invicem salutare vel alloqui, erit grave, si ex odio vero proficiscetur, ut cum rixa gravis forte praecesserit ; idem leve erit, si ob nugae tantum dissident. (Ball. P. n. 83)

228. III. Quandoque licet ob justas causas communia caritatis signa *ad tempus* omittere. Praecipuae sunt :

1^o Si quis offensus est ab inferiore, et ita eum emendare intendit.

2^o Si id non fit ex odio, sed ex justo dolore recentis injuriae, praesertim ubi haec fuit valde atrox.

3^o Si, absque odio, aliquis, etiam non Superior, intendit legitimam vindictam sumere de leviori injuria, ut offensoris audacia et insolentia refrenetur vel alia bona procurentur. Quod enim in gravioribus injuriis a iudicibus peti potest, videtur ab unoquoque assumi posse ob eosdem fines in levioribus offensis, quibus vindicandis ad iudices recurri non solet. (Ball. P. n. 82)

IV. Ex adverso, quandoque datur obligatio exhibendi inimico **specialia caritatis signa**, nempe :

1^o Si, omissis signis specialibus quae dari solebant, oriretur scandalum. Attamen plerumque non desunt alia media impediendi quominus ceteri ex interrupta amicitia insipienter concludant id ex odio fieri. (D'Annib. II. n. 87. nota 24)

2^o Si ita inimicus a malo, puta a graviore odio, retrahi posset. Hoc autem, ut advertit Ball. P. (n. 76), nihil aliud est quam applicatio generalis obligationis qua tenemur proximo in spirituali necessitate succurrere. At, cum talis obligatio desinat ubi sine gravi incommodo impleri nequit, generatim vero exhibere offensori specialia caritatis signa grave sit, sequitur raro hanc obligationem in praxi occurrere.

3^o Si inimicus veniam precatur et specialia caritatis signa exhibet, puta salutando vel alloquendo. Nam qui ea in iis adjunctis reddere nolle, aequivalenter declararet odium a se foveri.

229. V. *Per se* nemo tenetur inimico veniam petenti remittere satisfactionem pro damno, si ab eo sit laesus, immo nec eam acceptare, si offerat ; sed etiam juridice potest compensationem petere, dummodo non intendat principaliter malum delinquentis, sed aliquod bonum ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta emendationem peccantis, vel saltem cohibitionem ejus et quietem aliorum, justitiae conservationem, Dei honorem. (2. 2. q. 108. a. 1)

Practice, quando offensor congruam satisfactionem offert, vix fieri potest ut ab odio immunis sit offensus qui nihilominus juridice vindictam prosequi velit, praesertim si agitur de expetenda poena gravi, sine

ullo petentis emolumento, aut si urgetur satisfactio quam offensor praestare nequeat. (S. Alph. n. 29) Nihilominus qui vindictam juridice prosequi velit, putans se bonam habere causam, non statim a beneficio absolutionis excludendus est, sed diligenter edocendus de obligatione odii vitandi, et, si protestatur se nullo malevolentiae affectu duci, absolvi poterit. (Ball. P. n. 91)

VI. De ordine et modo in reconciliatione servandis, haec notanda sunt :

1^o Offensor tenetur veniam petere, nisi alter quoque injuriam rependit vel certo praevideatur veniam denegaturus, aut nisi offensor offensum superat dignitate vel statu. (D'Annib. l. c. nota 15)

2^o Plerumque sufficit veniae petitio *virtualis*, quae fit ex. gr. donum mittendo, indebitum obsequium praestando. Quodsi offensus huic virtuali veniae petitioni acquiescere nolit, videndum e gravitate offensae ceterisque adjunctis num rationabiliter petat *formalem*.

Confessarius igitur in imponenda formali veniae petitione sit prudentissimus. Numquam illam imponat ubi fieri nequit sine peccati occulti revelatione; immo, etiamsi quandoque objective requiri videtur, ab ea imponenda saepe absteineat ne frustra bonam poenitentis fidem perturbet. (Lehmk. I. n. 622, nota)

3^o Si uterque offendit, prior reconciliationem procurare debet qui gravius laesit; si aequalis fuit laesio, qui prior laesit. Attamen, cum generatim sat aegre constet quis prior vel gravius laeserit, confessarius utrumque jubebit reconciliationem inchoare; caveat tamen ne, intempestive hanc obligationem urgendo, animos exacerbet. (Lehmk. I. n. 625)

230. VII. Odium quod caritati adversatur vocatur inimicitiae et fertur in personam secundum se et in bona quae habet, volendo illi malum quatenus illi malum est. Per se autem malum non est odium quod dici solet *abominationis*, quo non hominem, sed ejus malitiam vel saltem personam tantum quatenus malam vel nobis noxiam aversamur. Saepe tamen istud abominationis odium erit peccatum leve, eo quod personam hanc, absque causa rationabili, fugimus. Cfr. Bus. ap. S. Alph. n. 30.

VIII. Licet optare proximo aliquod malum, dummodo intentio principaliter feratur in bonum proximi et servetur ordo caritatis, quo exigitur ut bonum quod intendimus rationabiliter sit praeferendum bono cujus privatio optatur. (Ball. P. n. 99)

Ideo licet ex. gr. mortem optare haeresiarchoe vel publicae pacis turbatori, ob bonum commune et multorum salutem; desiderare morbum

aut egestatem peccantis ut resipiscat. (Bus. l. c.) Similiter licet patri desiderare mortem filii cujus flagitiis timet ne infametur familia. (Ball. P. n. 103) Nam rationabiliter sanitati vel vitae alicujus praefertur ejusdem bonum spirituale, commune bonum, multorum fama.

Contra reprobata est ab Innoc. XI prop. 14^a: "Licetum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas. Nam proprium emolumentum temporale nequit rationabiliter praeferrī vitae proximi, ad quam conservandam etiam e bonis statui necessariis optulari debemus.

Quid dicendum sit de gaudio quod, supposita alterius calamitate, aliquis fovet de proprio emolumento inde secuto, ex. gr. de hereditate ob mortuum patrem obtenta, satis liquet ex iis quae de simili prorsus argumento dicta sunt n. 171.

Si quis diversa mala optat inimico, ex. gr. mortem, infamiam, etc. probabilior videtur sententia quam tuetur Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 260): haec mala non esse in confessione explicanda eo quod, licet specificè differant, non desiderantur, nec attenduntur quatenus talia sunt, sed quatenus sunt malum proximi. Cfr. S. Alph. (l. 2. n. 50) qui et alias sententias proponit. Certo tamen explicanda essent mala specificè diversa quae aliquis *inferre* optasset.

§ 5. DE SCANDALO IN GENERE.

231. DEFINITIO. Scandalum, sensu vulgari et minus proprio, saepe designat admirationem quam in proximo excitat actio quaedam nova et extraordinaria et, saltem specie tenus, minus recta, licet nullus inde ad peccandum inducatur. Sensu autem theologico et proprio, designat dictum vel factum minus rectum, praebens proximo ruinae spiritualis occasionem.

Quae definitio ut rite intellegatur, advertite:

1^o Ad scandalum requiri actionem quae vel in se mala sit, ex. gr. turpiloquium, vel saltem mali speciem habeat, ex. gr. die Veneris carnes publice edere ex justa dispensatione. Non est ergo proprie scandalum actio omnino recta qua alius abutitur ad peccandum. Nam "nihil secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundum quod habet aliquem defectum rectitudinis; quia id quod est perfecte rectum magis munit hominem contra casum quam ad ruinam inducat." (2. 2. q. 43. a. 1)

2^o Ruinam spiritualem intellegi detrimentum quod peccatum grave vel leve animae inferat. Parum autem refert utrum peccatum ad quod